



DISSERTATIO IVRIS NATVRALIS  
DE  
FALSILOQVIIS ET MENDACIIS  
MAXIME INTER SE DIVERSIS

---

QVAM  
CONSENTIENTE INCLITO PHILOSOPHORVM ORDINE  
IN

ILLVSTRI ACADEMIA IVLIA CAROLINA  
PRAESES

IOAN. CAROLVS CHRISTOPH. FERBER  
PHILOS. DOCTOR ET A. A. L. L. MAGISTER

IN IVLEO-MAIORI


DIE XXVI. OCTOBR. A. R. S. C1910CCLXIII.  
PVBLICAE ERVDITORVM DISQVIVITIONI

SVBIICIET

RESPONDENTE

ISAACO SCHOLTEN

AMSTELODAMO  
VENERABILIS CONSISTORII EVANGELICI AMSTELODAM. CANDIDATO  
ATQVE SOCIETATIS TEVTONICAE, QVAE IN IVLIA CAROLINA  
FLORET, COLLEGA ORDINARIO.



HELMSTADII

TYPIS MICHAELIS GVNTHERI LEVCKART.





V I R O  
SVMME VENERABILI  
AMPLISSIMO, DOCTISSIMO  
CELEBERRIMO  
IACOBO CHRISTIANO  
SCHAEFFER

DISCIPLINARVM TAM SANCTIORVM, QVAM  
PHILOSOPH. DOCTORI, ECCLESIAST. RATISBONAE,  
REGIAE MAIESTAT. DANIC. A CONSILIIIS, ILLVSTR.  
LYCET ACADEM. ALTONAV. PROFESSORI HONORARIO,  
SOCIETATVM NAT. CVRIOS., REGIAE SCIENTIAR. BEROLIN.,  
ROBØRET., MONACHIL, ITEM QVE SCIENTIAR. DVYSEVVG.  
NEC NON BOTANICAE FLORENTINAE, ATQVE TEV-  
TONICARVM, QVAE GOETTINGAE, LIPSIÆ, ALTORFIL,  
ERLANGÆ CET. FLORENT, COLLEGAE HONORARIO,  
APVD REGIAM ACADEMIAM PARISIIS LITTERARIO  
OFFICIO FVNGENTI

A V V N C V L O S V O  
PIETATE AC OBSERVANTIA  
SVSPICIENDO

OPTIMO SVO PATRONO

ABS QVO

LAETANS FELICITAS IN LITTERARVM  
STVDIA REDVNDAT VBERRIME

CVM PRECIBVS AC VOTO

PRO

SPECTATISSIMAE IPSIVS DOMVS  
STATV FLORENTISSIMO AC BEATISSIMO

HOC QVALECVNQVE

CERTE PIETATIS SVAE OBSTRACTISSIMAE  
MONIMENTVM

CONSECRATVM VOLVIT

AVCTOR.



§. I.

MINENTISSIMAS inter creaturarum rationalium, terrarum in orbe existentium, prerogatiuas, quae omnes omnino et ad earum statum internum et externum spectant, atque ad gloriosissimi creatoris sapientiam miris laudibus praedicandam faciunt, exsplendescit etiam facultas Sermocinandi. Inter omnes, qui entium intelligentium perspectam habent essentiam, constat, animam rationalem intellectu et voluntate esse praeditam. Format sibi intellectus ideas, combinat, aut discernit eas a se inuicem, et ratiocinatur. Inclinat voluntas ad ea, quae intellectus bona esse existimat, auersatur ea, quae intellectus sibi repraesentauit tanquam mala. Quas varias intellectiones et voluntatis operationes, veluti perceptiones, volitiones et nolitiones, vt homo homini significare possit, aptissima gaudet organorum dispositione. Communicantur vero alteri animi sensu verbis, signis, notis vel aliis etiam actionibus quibusdam, omissionibusque externis. Qui verbis utitur ille exhibet  
A 3 signa:



signa: ex signis concipiuntur signata; ergo ex verbis cogitationes et mentis conceptus alter intelligere potest. Vocabula igitur sunt signa mentis conceptus indicantia, et quidem arbitraria. Significatio actuum animae, veluti perceptionum, volitionum et auerfationum, per verba quatenus sono articulado proferuntur, constituit sermonem.

*Quum igitur sermo vox articulata sit, qua animans intellectu praeditum voluntatem suae animi sui sensu declarat, iure colligimus sermonem solis hominibus in nostra terra esse proprium.*

1. Incomparabile omnino sermo dicitur dei sapientissimi beneficium; attributum homini omnium terrenorum, quo nihil praestabilius praee reliquis proprium; quod enim aliis animantibus, ad explendam victus necessitatem inferendasque ventri copias comparatum est organum, homini promuarium potius rectae rationis et suavissimae orationis datum est, ut quae ratio mente concepit, ea sensu promat oratio; necessarium atque utile instrumentum, cuius pretium non nisi e scopo aestimatur, qui in eo consistit, ut socialitatem promoveamus et mutuas invicem conferendo operas pacem et tranquillitatem colamus.
2. Verba, voces, soni recte a non nullis philosophis a se invicem distinguuntur. Verba sunt signa, quae non articulado proferri possunt, sed comprehendunt etiam ea, quae scripta sunt. Voces vero ad sonos referuntur, et soni percipiuntur ex collisione corporum.
3. Circa vocabula, quae termini vulgo audiunt, ut plurimum tam materiale eorum, quam formale consideratur. At quum per sermonem consignationem actuum animae veluti perceptionum suarum cet, quatenus determinato suo ac recepto significatu insignita est, iam intelligimus; apparet, vocabula pro formali suo, quatenus nimirum vim significandi ex usu mutuo, diuturno, ac per mores recepto habent, et ea intentione proferuntur, ut, quae in anima latent, significantur, esse inniendā, id quod etiam Illust. WOLFIO in philosoph. practica uniuers. placuit.

§. II.





## §. II.

OMNES actiones nostrae liberae ita sunt determinandae, ut iisdem ultimo finis existentiae nostrae obfineatur. Manifestationem gloriae divinae, felicitatemque creaturarum rationalium per ultimum istum finem intelligi, satis constat. Quatenus signa conceptus nostros indicantia exhibemus, eatenus agimus et quidem vera cum libertate, necesse itaque est, ut eiusmodi actio fini ultimo sit conformis, id est: legibus naturalibus non repugnet, sed in laudem gloriamque numinis divini, in nostram aliorumque felicitatem conferendam et promovendam dirigatur.

## §. III.

DEVS plenissimum ius in creaturas suas rationales habet, nam deus omnium entium intelligentium summus est imperans, gaudet itaque iure eorum actiones liberas voluntati suae conformi modo determinandi, ergo etiam creaturae rationales perfecte obligatae sunt, ut sermones modo voluntati divinae convenientissimo disponant. Obligatio erga alios circa sermonem pro ratione circumstantiarum suarum erit determinanda, utrum perfecta, an non?

## §. IIII.

VISUM est quibusdam iuris naturalis doctoribus tria potissimum circa sermonem praecepta ex regulis honesti, decori, atque iusti derivare, scilicet

1) ITA UTERE SERMONE, NE ILLO TE IPSE REDDAS INFELICEM, VITAMQUE TIBI FACIAS MOLESTAM

2) TACE



2) TACE ET LOQVERE QVOTIES VEL TACENDO  
VEL LOQVENDO TVA ALIORVMVE COMMODA  
PROMOVERE POTES

3) LOQVERE, QVOTIES TACENDO; ET TACE,  
QVOTIES LOQVENDO ALIORVM IVRA LAE-  
DANTVR.

vid. FLEISCHERI institut. iuris naturae et gentium.

#### V.

QVIBVS ex regulis facili negotio aliae, eaeque spe-  
cialiores, deduci possunt. Primum vero solliciti sumus de  
ipsa veritate explanate definienda; quo facto via patebit  
disquisitioni: vtrum ius naturae exigat, vt semper verum di-  
camus? siue, an animi nostri sensa ita, vt sunt, semper alteri  
sint indicanda?

#### §. VI.

AMBIGVVM est vocabulum; veritas, vel in sen-  
su *metaphyfico*, vel in sensu *moralis*, vel etiam *logico*, *hermeneuti-  
co*, *historico* cet. accipitur. Metaphysice verum dicitur omne  
ens, quatenus essentiam habet debitam. Quatenus vero aliquis  
mentem suam de re dicendo ita declarat, vt is sibi eius conscius  
est, VERITATEM loquitur MORALEM. Et si quis ea co-  
gitat, quae se cogitare dicit, moraliter verum dicit. Sermo  
igitur moraliter verus Veriloquium nuncupatur. Con-  
uenientia cogitationum cum ipsa re, dicitur VERITAS LO-  
GICA, adeo vt logice verum quis dicat, si ita, vt res sunt, de  
rebus cogitat et dicit.

A ve.



A veritate morali neque ad veritatem logicam, ideoque nec ad veritatem dictorum metaphysicam; neque vero a metaphysica, aut logica rei veritate ad moralem recte concluditur;

Itaque veritas logica probari nequit veritate morali.

§. VII.

QVATENVS igitur aliquis alia de re aliqua dicendo declarat, ac sibi de re ea conscius est, FALSITAS adest MORALIS. Moraliter falsum itaque dicit, qui verba profert a cognitione sua de re ea aliena, seu quod idem est, qui aliter dicit ac cogitat. Sermonem moraliter falsum philosophi nomine FALSILOQVII insigniuerunt. Discrepantia repraesentationis nostrae a re repraesentata dicitur *falsitas logica*: sic logice falsum est, si rem aliter nobis concipimus, ac in se est.

§. VIII.

DECLARATIO factorum, quae sunt media longe alius intentionis, quam quae agentis vera est intentio, dicitur SIMVLATIO generatim. In omni simulatione generatim simulans studet

- 1) reticere veram suam intentionem,
- 2) aliis persuadere de longe alia intentione,

Quodsi finis principalis in agente est reticentia illa, speciatim dicitur DISSIMVLATIO: si vero est persuasio ista, dicitur SIMVLATIO strictè sic dicta. Omnis igitur simulatio est actus externus internis contradicens. Falsoquium est sermo a mente seu cogitationibus, alienus, §. VII. est igitur falsoquium species simulationis, cuius species bonus ille romanorum dolus fuit.

B

§. VIII.



## §. VIII.

PER ipsam obligati sumus naturam, vt omni studio nostras et aliorum perfectiones non solum conseruemus, sed etiam promoueamus; et quum inde proficiantur iura, ad omnia etiam habemus ius, sine quibus obligationibus naturalibus satisfacere non possumus. Ponamus igitur, fieri non posse, vt sine falsiloquio pro circumstantiarum ratione legibus naturalibus satisfaciamus; hoc posito falsiloquium non licitum solum est, sed etiam pertinet ad debita nostra.

Omne id, ad quod agendum obligamur, dicitur debitum nostrum. Ponamus nunc tales adesse circumstantias, vt nostras aliorumque perfectiones neque conseruare neque promouere possimus, nisi falsiloquium proferentes, hac sub conditione falsiloquium ad debita nostra pertinere quis denegabit? Quoties igitur vita innocentis, opesque alicuius non aliter, ac falsiloquio, seruari, alter a facinoris pessimi perperatione aliter retrahi nec potest: toties etiam falsiloquium debitis nostris est adiungendum. Fieri etiam potest, vt, (etiamsi lex permissiua, nisi in statu ciuili, locum non habeat,) de actione quadam eiusmodi lex adsit, tunc eiusmodi actionem licitam dicimus. Licitum his ita constitutis esse potest falsiloquium, vbi neque praeceptum neque prohibitum est, vt alteri ea, quae cogitamus, significemus.

## §. X.

ACTIO legibus naturalibus repugnans est illicita. Eis igitur sub determinationibus, sub quibus falsiloquium legibus naturalibus repugnat, illicitum est. Falsa proferendo nostras seu aliorum perfectiones destruere, alios in errorem quoad cognitionem boni et mali inducere, cum obligationibus nostris pugnat: ergo etiam eiusmodi falsiloquia semper sunt illicita.

Quodsi



Quodsi officiorum collisionem admittere fas est, fieri potest, ut officia erga alios cum officiis erga nos sint in collisione. Vbi officiorum est collisio, ibi plura officia simul sunt praestanda, quibus vno eodemque tempore satisfacere nemo potest. Alterum igitur est negligendum, alteri vero satisfaciendum. Quodnam vero ex hoc officiorum complexu erit negligendum, et cuiusnam satisfaciendum? Responso in proclui erit. Officium maius minori praeserendum est, si obtinet collisio. Fac igitur ut falsiloquio nostrae quidem conferuntur et promoueantur perfectiones, aliorum vero destruantur et v. v., quomodo exceptio est instituenda? Disquiendum est, ad quod officium maior adsit obligatio, ideoque cum quoniam plures connexae sint causae mouentes, ita, cui officio fit, satisfaciendum, patebit.

## §. XI.

FALSILOQVIVM est sermo moraliter falsus: adiecta hac noua determinatione, qua sermo moraliter falsus obligationibus repugnat, enascitur, MENDACIVM.

1. Sunt qui essentiam mendacii in ratione damni, quod exinde promanat, consistere putant. Sic Illustr. DARIUS in Institut. Iurisprud. vniuers. mendacium dicit esse Falsiloquium cum damno alterius coniunctum. Sed in contrariam abit sententiam TREVER in adnotation. ad PVFEND. de officio hominis et ciuis: „Id quoque mendacium erit, inquit, quando „citra alterius damnum veritatem reticeo, quam sciendi ius „habebat. Contra non semper mendacium est secundum ius „naturae quando falso sermone damnum alicui infertur, qui „iure omni excidit intelligendi veritatem, ex. gr. si quis latronem vel hostem falsis narrationibus vel rumoribus in infidias trahat.”
2. Eodem modo Cel. BAUMGARTEN in Ethica sua et I. N. mendacium latius accepit, et deinde distinxit inter mendacium internum et externum, quem sequar.



## §. XII.

MENDACIVM est falsiloquium pugnans cum obligationibus §. XI.; adest itaque laesio iuris vel mei, vel violatio *res suum cuique*: quoniam vero obligati sumus, ut neminem laedamus, mendacium semper ipsa prohibitum est lege naturali.

Manifestum est nemini aliquid imputari posse, nisi gaudeat usu libertatis. Facultas seclae praeuia consultatione ad aliquid sponte determinandi, vocatur libertas. Illi igitur, qui intellectus atque rationis caret exercitio, mendacium non erit imputandum; v. g. infantibus, amentibus cet.

## §. XIII.

FALSILOQVIVM est sermo a mente nostra alienus, in se spectatus a multis ad actiones suas indifferentes relatus, eoque respectu non pugnat cum obligationibus, quibusdam vero sub determinationibus ad debita nostra forsan pertinens §. VIII., et prorsus sic a vitii labe alienus. Mendacium vero est sermo non solum a mente discordans, sed etiam obligationibus repugnans. Accedit itaque falsiloquio turpitudine et species iniustitiae ex prohibitione legis resultans. Patet nunc ex assertis: *Omne quidem mendacium falsiloquium esse, non omne vero falsiloquium mendacium.*

Aristoteles mendacium per se sepositis omnibus circumstantiis turpe ac vituperabile nuncupat: *κατ' αυτο το μεν ψευδος Φαλον και ψεκτου.*

## §. XIV.

LAESIO quae cum mendacio coniuncta est veram omnino constituit istius a falsiloquio differentiam. Multa vero vulgo mendacii nomine veniunt, quae talia non sunt, quo



quo factum est, vt falsiloquium et mendacium saepius pro iisdem haberentur. Sedulo igitur est disquirendum; vtrum, vbi falsum quid in medium profertur, vera adsit a legibus naturalibus discrepantia. „Quoties verum reticetur aut falsum dicitur, quum dei honos aut amor proximo debitus, „aut reuerentia aduersus superiorem, aut rei, quae agitur, „natura exigunt, vt quod animo agitur, omnino patefiat, „sicut e. g. in contractibus id aperiendum diximus, quod natura contractus intelligitur exigere, toties id vitii notam „incurrit et mendacii nomine venit; vid. HOCHSTETTERI „Colleg. PVFEND. Exercit. VII. §. XII.

## §. XV.

DETERMINATA nunc falsiloquii et mendacii essentia, disquisita et corroborata vera falsiloquii a mendacio differentia; faciliori etiam negotio diuersae eruditorum sententiae conciliari, acriterque agitata certamina poterunt diiudicari. Vehementer viri et ingenii acumine, et auctoritatarissimi de eadem differentia disputarunt. Ab antiquioribus temporibus multi fuerunt, quorum nomina nulla obscurata est obliuio, qui omnia falsiloquia inter peccata referre et sine vlla vltiori animi fluctuatione damnare, minus iustum, deliberatum, atque aequum iudicarunt. PLATONICIS recentioribus et PYTHAGORAEIS doctoribus non licitum modo sed etiam laudabile videbatur veritatis ac pietatis causa fallere ac mentiri a) Eandem fouet sententiam CLEMENS, qui ab Alexandria nomen traxit. Neque omnia falsiloquia pro illicitis habuisse VETERES CHRISTIANOS a Saec. II. testantur piae illae fraudes inter illos frequentissimae, et modus disputandi κατ' ομολογίαν, seu



DISPENSATIO illorum notissima, de qua disputandi metho-  
do cel. RIBOV egregiam Goettingae habuit dissertationem.  
Saec. III. ORIGENES inclaruit, qui, omnino fieri posse, ait, vt  
licito modo falsiloquio aliquis vtatur. Saeculum III. HE-  
RONYMVM, CHRYSOSTOMVM, ATHANASIVM mul-  
tosque alios, vt a maxima huius saeculi piarum fraudum co-  
pia discendam, vidit, quibus omnibus eadem amica de falsi-  
loquio placuit sententia. In primis hoc ipsum Athanasii  
exemplum comprabat. PRISCILLIANISTARVM nunc  
commemorare possem placita, quorum symbolum tritissi-  
mum: iura, periura, secretum prodere noli. b) Sed mittam  
eos, transiens ad HELIODORVM, scriptorem graecum com-  
memoratione dignissimum, qui I. I. Aethiopic. καλον, inquit,  
*γὰρ ποτὲ καὶ τὸ ψεῦδος, ὅταν ἀφελῶν τῆς λεγομένης μηδὲν κατὰ  
βλαπτῆ τῆς αἰσῆτας.* Notus est praeter ea ex Saec. V. CAS-  
SIANVS in Collatione patrum XVII. Postea ex Saec. XII. HY-  
GO DE S. VICTORE adest, qui iocosa mendacia, ironias, et para-  
rabolas, mendacia non esse affirmat. c) Doctrinam eorum, qui a  
seruatore Iesu non en sibi adscuerunt, plurima falsiloquia licita  
putare, est res notissima; prae aliis vero NICOLAI ABRA-  
MI d), et CAROLI AMBROSII CATTANEO potissima  
est; de hoc praecipue lectu digna sunt, quae scripta leguntur in  
Biblioth. Ital. Tom. VIII. p. 224. Huc insuper referendus  
est GABRIEL NAVDAEVS, de quo BAYLE Dictionaire  
voce Marulus. Porro CARTESIVS in prima philosophia.  
Exstant etiam celebres illae controversiae Praeclar. SAVRIN  
vid. Discours historiq. in Vol. II. P. II. Conf. Journal litteraire  
Tom. XIV. p. 136. Biblioth. raisonnée des journaux litter.  
et des ouvrages des Savans. T. I. art. XI. et T. II. art. II.  
BARBEYRAC et GRAVESAND adhuc inter reformatos sunt  
de



denominandi. Permulti vero alii sunt allati veri discriminis inter falſiloquium et mendacium patroni, quorum nomina ſigillatim vt referam, nimis eſſet alienum a re mea. Liccat quorundam modo mentionem facere. CHEMNITIVS noſtris annuit placitis in locis ſuis theologiceis P. II. ad praec. VIII. CASPAR ERASMVVS BROCHMANN in Syſtem. theol. HÜLSEMANN, DIETRICH, GROTIVS, PVFENDORF, THOMASIVS, WOLF, omneſque, qui eum ſequuti ſunt, BVDDIVS, GLAFEY, WALCH, BAVMGARTEN, praee omnibus ceteris vero Cel. MOSHEMIVS in diſſ. celebratiſſima: De officiis hominis chriſtiani circa veritatem in loquendo. Helmſtad. 1735; qui ſingulos illos ſuſius recenſet: atque hunc ſequutus eſt GVNNE-  
RVS l. c.

1. Quum in pliarum fraudum mentionem inciderim, inuat, controuerſias ſibi reddere perſpectas, quas BARBEYRAC habuit cum REMIGIO CELLERIO in L. Traité de la Morale des peres, Amſterd. 1728. in 4to. Si accuratori rem ſubſtantijs diſquitiſioni aſſermandum omnino eſt: et patres et Chriſtianos illos ipſos in concedendo falſiloquio nimios fuiſſe, atque iterum iterumque a recto veritatis limite declinaſſe; ſomniantes etiam falſiloquia licita eſſe, quibus iura aliorum laeduntur, id quod in primis de Priſcillianiſtarum errore aeque, ac de leſuitarum doctrina notandum eſt.
2. Quod ſi vero non ſinguli viri laudati expreſſe inter falſiloquium et mendacium diſtinxerint, obſerues quaefo, generatim hanc cautelam: Boni nimirum interpretis eſſe non ad ſola verba, ſed ad totum ſyſtematis cuiusdam nexum reſpicere.
3. Atque hoc in primis de GROTIIO adnotatum vellem, quippe ex cuius largiore atque ſtrictiore mendacii acceptione, euidenter eluceat, illam eadem cum largiore mendacii acceptione copulaſſe ideas, quas aſſerui ad determinandam falſiloqui naturam. Ad communem enim mendacii notionem requirit GROTIVS ſignificationem, quae mentis conceptum ſine



sive in intelligendo sine in volendo, discernueniat. Laxiori huic mendacii notioni strictior significatio mendacii, per quam naturaliter illicitum est, propriam adicit differentiam, nimirum repugnantiam iuris existentis ac manentis eius ad quem fermo aut nota dirigitur. Bene inter ea monet Cel. KEVEFEL in exercit. Grotianis suis, consultius esse inter falsiloquium et mendacium distinguere.

- a) Lege MOSHEMIVM, in *instit. histor. eccles. Saec. II. part. 2. cap. 3. § XIII-XV.*
- b) Conf. de his celebr. MOSHEMIVS in *instit. hist. eccles. Saec. III. p. 2. c. V. § XXII. EIVSDEMQUE diff. de officio hominis circa veritatem in loquendo.* GUNNERVS in *seinen Anmerkungen über das Natur-Recht des Herrn Hofr. Dar i e s, Tom. VI. pag. 11.*
- c) In *scripto de sacram. I. I. P. XII. Tom. III. opp.*
- d) In *libro suo 4. de veritate et mendacii.*

#### §. XVI.

FVERVNT etiam satis audaciter in contrariam abeuntes sententiam, quorum in numero AVGVSTINVS iure primum obtinet locum, cuius doctrinae, quia tantus vulgo habetur, alii lubenti animo subscripserunt. Priscis iam temporibus, Saec. VI. IOAN. CLIMAX scriptor graecus et GREGORIUS M. feuerius de falsiloquio statuerunt. a) Saec. VII. CONCIL. TOLETANVM, Saec. X. CONCIL. TROSLIENVM et deinde omnes fere SCHOLASTICI, quorum sententia INNOCENTII III. decreto publice est confirmata. Saec. XVI. CONC. TRIDENTINVM et catechismus inde nominatus; vbi: „praeter ea ioco vel officii causa fallere mendacio, et si nemo in illo vel damnum vel lucrum fecerit, tamen omnino indignum est. Ita enim Apostolus nos admonet: deponentes mendacium, loquimini veritatem. Saec. XVII. et XVIII. NICOLAUS ABRA-  
MVS

MVS in L. de veritate et mendacio, decretum concil. Trident. strenue defendit. Praeter ea adhuc noti sunt: IOSEPHVS AVGVSTINVS ORSIVS, Ital. VRSINVS, qui catech. Heidelberg. dilucidationibus suis explanavit. IOA. LA PLACETTE in tractatu de la parole et sur le matiere de la conscience. PICTETVS dans la morale Chretienne. IOA. HORNBEK et HEEREBORD in meletem. philosoph. et Ethica. IACOBVS BERNHARD de P'excellence de la religion. PHILIPPVS NAVDAEVVS et IOA. GERHARD. Huc etiam referri possset HOMERI effatum I. Iliad.

Εχθρος γαρ μοι κεινος ομως αιδαο πολλησιν  
 Ος χ' ετερον μ' κευθει ενι Φρεσιν αλλο δε βαζει.

a) Qui alias etiam IO. CLIMACVS, aut SCHOLASTICVS nominatur, *in scala Paradisi*. GREGOR. *in Iobum*.

### §. XVII.

DIXI in §pho antecedente, contrariam amplectentes sententiam principem habuisse Augustinum. Omnes omnino ille, causam suam vt defenderet, collocauit vires. Vix sane credibile est, quanto mentis fervore vir ille bene meritus arma contra mendacium tulerit! Eo progressus est nimis audaciter principiis suis inhaerens, vt indagantem eius placita gelidus horror tremorque inuadat. Et si vera fateri fas est, manus huic disputationi eius potissimum causa adieci. Faltiloquium, quod quibusdam sub determinationibus licitum est, immo ad debita nostra pertinet, eo iudice, aequae ac mendacium, abominabile crimen est. Quid mirum, si positis hisce principiis multa, quae cum sanioribus philosophiae principiis et cum ipsa lege naturali pugnant, venditauerit? Quid mirum, si vitam innocentis sanguinem sitien-



ti prodat, interrogatus ab hoc, quo ille effugerit, vbi latitet, quam, vt vitam eius falsiloquio feruet, non aliter feruendam? Sed multo duriora ab eo proferuntur dogmata. Consideratione prae reliquis dignae mihi videntur hae doctrinae: dicit noster, quod

1. *Si totum genus humanum radicitus exterminari debeat, et funesta ipsius extirpatio non aliter ac mendacio auerti possit, tamen abhorrendum sit mendacium;*
2. *Si permulti a perpetratoe grauissimorum peccatorum mendacio retrahi possent, procul tamen abfit, vt illorum causa mentiamur;*
3. *Si etiam proximus meus ab aeterna condemnatione non aliter ac mendacio reseruari possit, melius sit, vt in aeternum pereat, quam vt hoc modo liberetur.*

An horribilius quid adhuc excogitari potest? Placent vero haec asserta etiam PLACETTE theologo §. XVI. iam nuncupato, veritatem eorum ex auctoritate, qua suo tempore excelluit AVGVSTINVS, determinaturo. Argumentum exigui, ne equidem dicam, nullius ponderis. Vid. laPlacette Versuch einer geistlichen Moral, die VI. Abhandlung von der Absicht.

Lubentissime concessero, perniciosam fallendi consuetudinem id temporis AVGVSTINVM commouisse, vt acrius scriberet in L. de mendacio, quam alias praecl. ille moralium doctor vnquam docuerit. Ex reliquis etiam Augustini doctrinis intelligi posse, persuasum habeo, illum saepius ita sensisse, vti par est: quae tamen etiamsi vera sint, procul dubio tamen Augustinus in damnando omni falsiloquio nimis fuit, neque satis enodate distinctionem mendacii et falsiloquii cognouisse videtur. Hoc est, quod quidem in Augustino reprehendam.

§. XVIII.

§. XVIII.  
- QUID vero Augustino erit respondendum, si cum ipso contendere audeamus? Quid si nobis praecripat palmas? Serena illas ipsi fronte largituri sumus, si modo sufficiente placita sua suffulciat ratione. Et quaenam adsunt rationes, quibus utitur ad corroborandam doctrinam? EX BONA INTENTIONE, inquit, NON SVNT PERPETRANDA MALA — nimirum VERA MALA, concedo. Sed num omne falsoquium verum malum est per se? Hoc asserere logici petitionem principii nominare solent. Quis, quaeso, est mortalium, si leges naturales satis habeat perspectas, qui his adsentiri poterit: Omnem sermonem a mente, a cogitationibus alienum malum esse *κατ' αυτο*. Considerabimus factum humanum, quod natura sua, ideoque semper et sine vlla exceptione turpe est. Quid requiritur, ut ita sit? Ex definitione prauitatis requiritur, ut

1. Ea, quae factum eiusmodi consequuntur, vera hominem felicitate quodam saltem modo priuent, adeoque, malum, ut dicunt, physicum constituent, in statu hominis siue interno siue externo, siue in utroque.
2. Ut proficiatur eiusmodi factum e prauo animo, i. e. eo, qui nondum satis didicit, deum super omnia, aliosque homines, uti se ipsum, amore prosequi, sed qui saepius gaudet, aut saltem parum afficitur taediis aliorum, quorum auctor est.
3. Ut adsit moralis in mente imperfectio, cognitio facti sui aut satis obscura, aut erronea, sine debita certitudine, viucitate, cet.
4. Ut adsit neglectus diligentiae in agendo debitae.



Sed si, vt supra dixi, **FALSILOQVIUM** generatim eiusmodi sermonem nominauerimus, qui alia declarat, quam dicens de re vere cognoscit: quo, quaeso, modo ex hac definitione quatuor modo dicta prauī facti requisita aliquis veritate efficiet? Nonne determinationes definitioni adiciat, necesse est, quas tamen definitio ea nondum comprehendit? Et si quando falsiloquium aliquod etiam bona actio fuerit, nonne contra regulas logicas a genere generaliter posito, nimirum *falsiloquio generatim sumto*, ad speciem determinate ponendam, scilicet *ad turpium falsiloquiorum speciem* statim concludet?

§. XVIII.

**PERMVLTVM** interest, vt nunc probem aliquam falsiloquiorum speciem, honesta omnino continere falsiloquia: id quod sequenti ratione euinco:

In cuius facti generatim spectati natura, necessaria prauitatis requisita posita non sunt; sed cum cuius natura contra ea recte facti requisita consistere possunt, eique intime cognata saepe existunt; illud factum pro eo habere, quod per sese et natura sua turpe est, temere et male sana mente diceretur.

Atqui falsiloquium generatim spectatum eiusmodi factum est,

Ergo obtusi esset capitis omne omnino falsiloquium cum mendacio confundere.

Videor contendere posse, **MAIOREM PROPOSITIONEM** plane indubiam esse. Nam, nisi requisita turpitudinis in aliquo posita sint, id sana mente turpe putare non possumus. **MINORIS** probatio haec est:

Quodsi



Quodsi natura falsiloquii semper turpitudinem contineret; sequeretur,

1. vt quae falsiloquium necessario consequuntur, semper sint mala; vtque nullum falsiloquium sit causa boni;
2. vt omne falsiloquium ex prauo proficiscatur animo, ideoque inhumano, infenso, maligno, cet.; vt nullus vero, qui deum suum ex toto animo diligit, et qui quemcunque alium, ita, vti se ipse amat, infucato modo carum habet, alios possit loquendo fallere;
3. vt nunquam is, qui falsiloquium committit, satis scire possit, quid faciat, sed solus ille, qui moralem dictorum suorum veritatem strenue sequitur, optimam, distinctam, certam, amplam, sufficientem facti sui habeat cognitionem;
4. vt omnis simulator ac dissimulator semper et vbique in exsequendo proposito suo deses sit; omnis vero cordatus homo exactam praestet, circa ea, quae est loquuturus, diligentiam.

Atqui absolum est, statueri consequens,  
Ergo et absurdum est antecedens.

Consequentia ex §pho praecedente patet, quia quatuor ibi allata prauitatis requisita, momenta turpitudinis cuiusque vera sunt ac omnia. Nam singula, quae de facto aliquo, siue bonum sit siue turpe considerari possunt, vel interna sunt, vel externa. *Interna facti* partim *mentis* cognitio sunt,



ex qua factum oritur; partim *animus* seu complexus omnium animae motuum, voluptatis, taediorum, de l'aissance cet. partim vero *vires* animi mentisque ac corporis coniunctae, quae ad illud exsequendum requiruntur. Illud prauitatem aut honestatem constituit moralem; istud animi; hoc diligentiae. Quae externe factum consequuntur, aut mala, aut bona physica audiunt — Sic ergo singula illa malefacti requisita sunt.

§. XX.

POSTERIORIS syllogismi consequentis falsitas, quin ex subsequens luculenter appareat, non dubito. Senis illius, ac boni viri, Philonis falsiloquium de quo dulcissimus cecinit Lessing in commoedia sua, der Schatz, num, quaeo, honestum fuit, an factum erga Anselmi domum turpe? — Quis est qui non laudet, captiosam illam responsionis Caroli V. ambiguitatem, qui, quum magno cursu Gandauium contenderet, ciuium seditionem ibi fedaturus, petit a Francisco Galliae rege, vt iter sibi liberum per Galliam pateret; quod libenter concedebatur; sed post, quam Franciscus Carolum in Gallia sua habebat, Dux Montmorancy de tradendo ducatu mediolanensi Carolum coepit sollicitare. Carolus ei respondit, EQVIDEM, QVAE REGI GALLIAE PLACEBUNT, LIBENTISSIME VOLO. Quo facto ingenti id temporis periculo subductus est. Illa vero verba post hac ita interpretatus est: equidem, quae Francisco placeant, volo. Sed Francisco placet Mediolanum, quod et mihi placet: Hem, experiemur, quis nostrum, sit retenturus? Et si sacri codicis oracula audiamus, quidnam de Salomone i Reg. III. v. 28.



v. 28. dicitur, vbi litem illam duarum meretricum, quae infante alterius noctu forte interemto, inter se de altero viuio iurgabant, dum vix reperiri potuit a qua factum fuerit, omnino naturali ratione breuissimoque medio, id est, sapientissime per insignem aliquam simulationem et falsiloquium, discreuit statimque diiudicauit? Meminerimus iterum praeclearae illius Athanasii simulationis; qui, quum iam in eo esset, vt ipse captus esset ductus, quaerentibus ex ipso, vbinam sit Athanasius, illico respondit, MODO PRAETER-VECTVS EST ATHANASIVS ISTORSVM. Quo feliciter accidit, vt missi eum comprehensum statim eodem dimisso, quia eum non cognoscebant, iter suum ab hoc, quem erant persequuti, auerterent atque alio flecterent. Equidem non dubito, fore quemque nostrum, qui iam satis superque expertus est, quanta alicui saepe sermo suus, si verum quando dixerit, vbi opinione melius fuisset, alios fallere, detrimenta importauerit. Atque historiarum documenta, in primis de nouis bellantium artibus, eorumque stratagematibus luculenter ac copiose docent, quam plurimos fortunatos euentus, falsiloquia, simulationes, dissimulationesque, si iusto tempore adhibeantur, esse consequutos! Videmus itaque, falsum esse

i. Ex falsiloquio consequentia semper esse mala.

Deinde vero idem a priori, vti dicunt, etiam satis elucet. Omne falsiloquium est sermo. Sermo quem alter percipit, in hoc excitat certas cogitationes, §. I. Cum cogitationibus, quae in anima exsistere incipiunt, sunt certi motus arbitrarii in materialium idearum typo coniuncti. Hinc et his obortis in altero cogitationibus facile ii, qui iam abhinc cum illis coniuncti fuerunt, et nunc associantur motus arbitrarii, pro-



proximae liberarum actionum alterius causae. Ea vero quae alteri dico, causa fiunt, cur se alter sic nec aliter determinet, plane nullo siue veritatis siue falsitatis moralis habito respectu. Quodsi factum, ad quod alter per sermonem alius adducitur, honestum fuerit, sermo alterius est huius causa quaedam, idemque ille alter facti eius honesti causa existit moralis. Sin vero factum turpe sit, moralis quoque est eiusdem turpitudinis causa. Itaque cum sermone hominis quocunque, siue moraliter verus sit, siue falsus, vel bona vel turpia facta aliorum, qui dictis eius mouentur, connexa esse possunt. Ergo ad egregiam alium actionem perducere cum falsiloquio generatim minime pugnat. Id quod quotidianae quas quisque instituire potest, obseruationes luculenta pleneque ratione commonstrabunt. Ex his sequitur: FALSILOQVIVM OMNE PER SE PECCATVM DICI NON POSSE, ILLOSQVE DECEPTRICEM AMARE ETHICAM, QVI FALSILOQVIVM OMNE CVM MENDACIO CONFVNDVNT.

§. XXI.

2. QVOD ad secundum attinet membrum, mirum in modum laudandam esse censeo, cel. MOSEMI differt. de officiis hominis circa veritatem inloquendo. Hic enim praestantissimus scriptor, officia circa falsiloquia et veritatem moralem obseruanda, ex amore cordis erga deum et erga alios deduxit, vberiusque probauit, falsiloquia omnino cum eo amore consistere posse, et semper ea, quae ad veram nostram vel aliorum perfectionem faciunt, falsiloquia ex eo amore proficisci. Quid vero aliud boni atque integri animi essentiam efficit, quam debitus ille et tantus, quantus vt  
erga

erga deum et res alias sit, par est, amor et caritas? ex hoc enim omnis alia motuum animi ac pectoris humani sensationum rectitudo enascitur. Et quare, quaeso, quum supra probatum sit, falsiloquia aliis saepe prodesse posse, saepiusque profuisse, ea cum bono animo consistere nequeant? quare, quaeso, pater erga filium suum maligno agere animo necesse habeat, si a quibusdam eximie non nulla simulando filium prohibuerit? Omnino sine vlla probatione assumitur, eum semper malo esse animo, qui forsan egregie alterum in re aliqua sefellerit. Nec hoc probatum est, neque vero poterit probari. Nam quum certum sit, fructus simulationis non raro esse vtilissimos, animus eos approbans recte agit, atque aberraret, si eiusmodi falsiloquia, tanquam mala inde euenirent, esset damnaturus. Rectitudo appetitionum, auersationumque animo bonitatem suam conciliat, et hae rectae sunt, quoties hominis animus iis, quae per se bona sunt, delectatur, nec caeco odio interclusus vera emolumenta auersatur. Interim iterum repeto, dignissimum esse, qui de hoc membro praecipue legatur, cel. MOSHE-  
MIVM.

§. XXII.

3. et 4. NON est, quod falsitatem membri tertii et quarti in consequente prolixè cumulateque ostendam. Minime enim, nisi dicis causa, afferri poterit, eum, qui falsiloquia ea, quae veram praestant vtilitatem, sine vlla dubitatione reicit, VERAM de hac sermonum specie cognitionem possidere. Atque observatio est minime fallax, bonos illos homines, qui natura sua cordatiores sunt, ac sincerissimi, summa semper fide, absque vllò fuco et mendaciis,

D

saepe



saepe homines esse psychologicae perquam simplices: contra ea alios falli non tam nescios, qui simulationi, machinis, fraudi, et fallaciis plus iusto studere solent, minime homines esse bliteos aut hebetis ingenii, verum eosdem illos et argutiores esse et perspicaciores, et erectiores, et callidiores generatimque ingenii eminentioris. In pingue vero potius, quam in acutum ingenium cadere, viuudius, clarius, certius, verius cer., quae agit aut loquitur, cognoscere, maiorique ac debita actiuitate et diligentia facere, quis quaeso est, qui sanâ mente possit affirmare?

§. XXIII.

HAEC sunt ex quibus mihi sufficienti ratione effici videtur, non nulla falsiloquiorum, certis sub determinationibus, licita esse, immo ad debita nostra pertinere, ipsa lege naturali sic praecipiente. Nam ita natura falsiloquii generatim considerati comparata est, vt ipsi singula honestae actionis requisita intime sint saepe coniuncta. Fac vero, eum qui iusto vtitur falsiloquio, vnum alterumue ex recensitis requisitis deficere, modo adsint potiora v. g. bonitas physica atque animi, vniuersa falsiloquii rectitudo, non offenditur. Nam si omne factum humanum singula illa quatuor requisita plene haberet, hoc esset perfecte bonum, quale tamen in nullum hominem, vt iam est, cadit. Ego vero quaedam falsiloquia concedens plurima libentissime ad mendacia pertinere, existimo, et quam maxime contendo, et ius naturae cogens strenue praecipere, ne fidem aliorum subreptum eamus, et Ethicam rigidam eximio modo de vitandis prauis falsiloquiis leges sancire grauissimas: modo ne quis opinetur, ex ea ratione omnia ac singula falsiloquia simulationes



tionēs et dissimulationes cet. sine vllō vltiore discrimine pro laesuris esse habendas. Quotiescunque alteri non emolumentum, sed potius detrimentum, per falsiloquia inferitur, turpe est: cessante vero turpitudinis ratione cessat et falsiloquii culpa. Quum igitur falsiloquia, quae ad debita nostra pertinent, in se mala non sint: *ego non aio, quamuis turpe sit, falsiloquium, tamen quoniam saepe expedit, committendum esse.*

## §. XXIII.

VBERIVS de hac materia generatim disputauerunt, tam veteres quam recentiores, officiorum doctores, vt CICERO de offic. L. III. c. XIII. seq. GROTIUS eiusque commentatores, PVFENDORF, THOMASIVS, WOLF, GLAFEY, DARIUS eiusque commentator GVNNERVS, BAVMGARTEN, ACHENWALL ceterique; speciatim vero de illa egerunt THOMASIVS dissert. de homicidio linguae, Halae 1699., recusa 1736. VFFELMANN tract. de iure, quo homo homini in sermone obligatur. MOSHEIM dissert. laudata. RIBOV de simulatione licita. MICHAELIS von der Verpflichtung der Menschen die Wahrheit zu reden.

In primis hic conferri meretur MOSHEMIVS super Cudworth. system. tom. II. p. 38. sq. Notatu digna sunt quoque verba PLATONIS l. 3. de republ. tom. II. opp. p. 31. ed. Ald. Manutii: *τοῖς ἀρχαῖς τῆς πόλεως εἰ παρὰ τισὶν ἄλλοις προσήκει ψεῦδεσθαι ἢ πολεμίων ἢ πολιτῶν ἐνεκα ἐπ' ὠφελείᾳ τῆς πόλεως.* GABRIEL NAUDAEVS peculiari dissertatione medicis fallendi libertatem vindicare studuit, id quod de illo testatur BAYLIVS Dict. T. III. p. 1591. voce Marulus, qui, Au reste, inquit, Gabriel Naudé, qui a fait une dissertation pour prouuer, qu'il est permis aux Medecins de dire bien des mensonges



ges à un malade, n'a pas manqué de citer nôtre Marule, qui a foutenu, qu'un homme, qui ment en faveur de la republique ou pour la grande gloire de Dieu, fait un acte de prudence Infigne; et de pieté singuliere.

Sed non possum, quin eos, qui hac de re scripserunt, propter ea reprehendere audeam, quod ipsis de hac materia meditantibus *discrimen inter veritatem et falsitatem moralem* nimium ante oculos semper versatum fuerit, id quod certe de hac materia cogitantes a recto, quo intima falsiloquii moralitas disquirenda est, intuitu, abduxit, atque ad considerationem, quae a re longe aliena est, totos traduxit. Nam in disputando hoc capite non tam quaeri debet, num sermo alicuius moraliter verus sit nec ne, quam potius, vtrum expediat, siue verus sit moraliter, siue falsus, hoc enim nihil ad rem; deinde, vtrum ex recta facti agentis cognitione, veraque eius consecratorum praeuisione; porro, vtrum ex bono animo cet. suborietur nec ne? Haec enim intimam *SERMONIS*, quatenus vt libera hominis determinatio considerari debet, *NATURAM* eiusque consecratoria constituunt. Cognitis vero iis patet *INTERNA FACTI MORALITAS*, et hac intellecta *LEX* apparet, facileque composita est *NATURALIS*, quippe quae nihil aliud est, ac repraesentatio moralitatis alicuius facti, proximeque ex eius facti natura ac consecrariis cognoscitur atque efficitur. Ex lege oritur *IUS*, ideoque ea, *QVAE* circa factum *LICENT*. Ex iure *OBLIGATIO*, atque ex obligatione cum rebus circumstantibus *OFFICIUM*. Ita haec subordinatio de falsiloquiis haectenus dictis etiam est accommodanda.

§. XXV.

*QVO MODO* vero id, quod saepe officium est, id, cuius ope aliorum felicitas conseruari poterit ac promoueri  
pro

pro turpi, iniusto, quid? pessimo facto venditare potest Augustinus? Vbinam hic *semper* est officiorum laesio? Vbi fallendi animus? Vbi damnum ex mendaciis quidem emergens, si pro salute quando alterius aeterna, pro vita, pro auer- tendo periculo eius maximo faliloquio vsus fuero? Sed res mihi non est cum philosopho: nam iuris naturae scientiam Augustino nostro, praeter hoc nunquam fatis suspiciendo, non admodum cognitam fuisse, haud difficulter conicitur. Sed hinc illae lacrimae! Verum enim vero contra eum tan- quam strenuum atque armatum Theologum disputare debe- bo. Quid? si permultis testimoniis sacri codicis vtatur, vt quidquid fecte ac fallaciter in medium promitur, mendacii criminis accuset? Sed breuiter respondeam:

Si iuris naturae scientia nobis non modo nulla, sed contraria potius, suppeditat principia, per quae ducti OMNEM omnino sermonem, omnem mentis nostrae conignationem non moraliter veram, turpem et cum legibus naturalibus pugnantem putare debemus, nec lex alia diuina sciscet iuri naturae circa officia sermonis opposita.

Leges enim naturae sunt leges dei. Quo igitur pacto altera negare potest, quae altera ait. In omnibus illis sacri codicis locis, vbi mendacium prohibitum est, de MENDACIO vere tali dicitur, cum fraude, cum mala fide, cum damno alterius, cum alia officiorum debitae christianorum caritatis laesione coniuncto.

§. XXVI.

MENDACII genera ab Augustino octo proferuntur, quae etiam in *perniciosa*, *officiosa* et *iocosa* seu *benigna* di-



stinxit. a) Singula ea pleniori subiiciam disquisitioni in proxime dicendis.

a) Enodatus haec exposuit Cel. BAVMGARTEN in Ethica §. 244.

§. XXVII.

I. Si fallimus alios in doctrina religionis et ea, quae est contra bonos mores et fidem, inter homines summa opera retinendam, mendacium committitur. — Qui hanc sermonis foeditatem probaret, fore puto neminem. Sed solito latius haec pateat veritas. Cuncta verba, per quae logica de rebus, in primis si grauiore fuerint, veritas offenditur, inter mendacia sunt referenda, nam nihil magis nocet, quam erroneae de rebus, praecipue vero dignioribus, opiniones; inde enim quam plurima subnascuntur peccata. Luculentam ingenuamque de rebus veritatem logicam inter homines hominum quemque omni cura ac solertia promouere debere, alia docent officiorum praecepta. Ad haec praecipue pertinent religio, fides sancta, boni mores, verae felicitatis humanae causae et media cetera. Si quis ergo logicam, praesertim de re grauiori, cognouerit veritatem, attamen de eadem illa re aliter, ac sentit, loquutus fuerit, leges perumpit naturales, ius laedit diuinum tenditque contra praecepta summi rerum gubernatoris. E quibus patet contra cognitam logicam veritatem prolata, praesertim si grauior fuerit, ad mendacia iure esse referenda, nisi, id quod semper notandum est, nos aliter agere iubeat iusta officiorum subordinatio §. X. schol. Quod vero de minime violanda fide peculiariter dicendum est, optime planeque noua prae illis methodo docuit cel. BAVMGARTEN in suo I. N. p. 106. et seq.

§. XXVIII.





## §. XXVIII.

II. Sermo moraliter falsus, qui prodest nulli, alii vero *forſitan ſaltem* obest, omnis est vitandus. Adieci hoc *forſitan ſaltem* ex adnotatione cel. BAVMGARTENII, praclare de his in Ethica ſua praecipientis §pho 343 et 345, cum reliquis a §pho 338 ceteris. Sic enim ſemper exiſteteret laefio, contra ius naturae §ph. II. Plura de hoc caſu diſſerere, ſuperuacaneum eſſe, arbitror.

## §. XXVIII.

III. Si quis loquitur, quae alteri ita profunt, vt inde alius detrimentum accipiat, mentitur. Repetenda hic ſunt, quae ad §phum proxime praecedentem modo dixi. Sed adieci debent, quae praecipit iuſta obligationum ſubordinatio, de quo agere memini §. X.

## §. XXX.

III. Turpe eſt, ex mera mentiendi libidine blanda fundere mendaciuncula: Ariſtoteles, mendax, ait, quia talis eſt, mentiendi habitu ſuo etiam etiamque deſtatur. Sunt multi, quorum animis impia et barbara mentiendi, fraudandi et in errores foedos alios coniciendi, quoties iſtis incidit, ſeſe inſinuauit conſuetudo; vel quia alios ludere geſtiunt, vel quia puro puto ingenio abundant et phantafia effrenata, vel erroribus bonos homines de vulgariſ rebus, ac ſi maximae ſummeque admirabiles eſſent, narrando decipiunt, vanam gloriolam et exiſtimationem aperte confeſtaturi. Sunt etiam, qui bona verba dant beneuolentiam aliorum negotio faciliori captandi cauſſa. Alii nimis reſeruati apparent, in quorum animos tenax pecuniae reſque



resque suas, praecipue vero quisquillas suas, retinendi cupiditas intravit, et qui, ne quid clam contra res suas agatur, nunquam timere non solent. Singuli illi omnino circa ser-  
nem peccant. Nam verba, quae contra debitum finem pro-  
feruntur, sunt temeraria, nulla adest in illis vera dictorum  
utilitas, quae tamen semper a loquente intendi debet. In  
aliis vana loquacitas, in aliis nimia reticentia vituperanda est.  
Quum vero homines obligentur, facta sua singula, vti ad  
suam, ita et ad aliorum perfectionem dirigere, etiam in lo-  
quendo et tacendo diuinae voluntati conuenienter agere te-  
nentur. Voluntas vero diuina est, non, vt homo praecipi-  
tem suam, lubricam et effrenatam phantasmam, deprauatam con-  
suetudinem, vulgarem splendorem et difficilem, submoro-  
sam ac ridiculam suam tenacitatem brutorum more sequatur,  
verum vt sapientia prae ceteris animantibus dicta etiam sua  
ornet. Recte igitur Augustinus singula ea ad mendacia re-  
tulit.

§. XXXI.

V. Quae mera placendi cupiditas profert, vt  
suauiloquentia, semper mendacia sunt. Sed hic distin-  
guendum esse censeo, inter ea, de quibus egit spiritus praee-  
dens, et inter ea, quae prudens aliis placendi studium gignit,  
et quibus debitum nobis amorem aliorum animosque conci-  
liare et adiungere valemus. Praecipua enim et homines ab  
immanitate retinens, lex est, VT OMITTAMVS, QVAE  
LAETVM ALIORVM HOMINVM ANIMVM CONTVR-  
RENT, ET VOLVPTATI IPSORVM, ETIAMSI IMAGI-  
NARIA SIT, CONTRARIA EXSISTANT praecipiens,  
*nisi maior officiorum subordinatio impediatur*, modo nos non fal-  
lat

lat hausta ex peruersa officiorum institutione, aut ex doctrinarum, quibus a pueritia dediti sumus, systemate accepta opinio, vt temere eiusmodi officiorum subordinationem, vbi non facienda est, cogitemus. In his quoque suum tribuendum est cuique; et gaudere debemus cum gaudentibus, contristari cum tristibus, omnia omnibus fieri, vt lucremur aliquos, quem ad modum insigniter docuit cel. BAUMGARTEN in Ethica sua §. 382. Hoc non tantum de quotidiana cum aliis consuetudine notandum est; sed in primis etiam de aestheticis doctoribus eorumque scriptis, de quibus incredibili modo multi veterum austeri doctores pueriliter egerunt, dicendum fuit.

## §. XXXII.

VI. Mendacium est, inquit, si quis dicit, quae nocent quidem nemini, et e contrario alicui vere vtilia sunt, velut, si quis locum, in quo quidam nummos suos reposit, satis noscat, at interrogatus ab eo, qui eos illinc surripere iniusteque tollere tentaret, coram eodem ipso negauerit, se illum locum cognoscere, mendacium fieri. Ehem! quis talia dicta a tanto praeclaro veterum moralis disciplinae ornamento, Augustino, expectasset! Falsiloquia dicenda sunt, de quibus dicit, sed ad quamnam falsiloquiorum speciem referenda? Ad mendacium? Minime. Quod enim laedit neminem, non est mendacium, et si sermo falsus fuerit, quo laeditur nemo, et qui tamen alteri prodest, ad falsiloquia pertinet licita, ad eumque sumus obstricti.



## §. XXXIII.

VII. et VIII. Sermonem, qui nulli obest et prodest alicui, ad vitam corporis seruandam, et qui nulli obest, sed alicui potius prodest, vt eum ab immunditia corporis tueatur, mendacium etiam nominat Augustinus. Ex natura mendacii iterum elucet, haec nulla esse mendacia vere talia. Nullo enim cum detrimento alterius sunt copulata, neque adest laesio obligationum. Conseruantur potius et promouentur eis ipsis alterius perfectiones. Quidni eis vtendum sit, si lex naturae acriter nobis hocce inculcat officium, vt omnem adhibeamus diligentiam, ad perfectiones aliorum conseruandas: conf. §. IIII. Ostendimus iam §. XXII. eiusmodi falsiloquia, vbi vita innocentis non aliter seruari posset, ad debita nostra pertinere, si quis v. g. amicum haberet intimum et praestantissimum, grauissimo ac mortifero morbo iam laborantem, cuius dilectissimi vnicique filii mortem aliquo modo accepisset, si coram aegrotante hoc de morte filii nunciaret, fac etiam patrem de filio suo maiorem in modum sciscitari, si tamen alter facile praeuideret, futurum esse, vt nunciata mors filii patrem ita afficiat, vt hic etiam vita excedat: quis, amabo, tam inconsulte ageret, vt in hoc casu moralem proferret veritatem? Quis hic temere asserere potest, falsiloquium sub hac condicione ad debita sua non pertinere?

## §. XXXIIII.

HACTENVS satis quidem de iure falsiloquiorum non nullorum disputatum esse existimo. At fingas ea, quae de dictis Augustini disserui, non vera esse, quanam, ratione theologi istius, sunt monstruosa inde consequentia? Sic iniuste,  
pessi-

peffimeque fecerint obfetrices illae hebraeae, neceffe eft, Exod. I. v. 18. 19. Sic Rahab Hierichuntina, quanti accusanda eft criminis, quod exploratores occultauit. Iof. XI? Sic cum impio Morgano Iofephus diffimulans fimulansque coram fratribus fuis, immo ipfos illos, tanquam fures et exploratores effent, arguens, graui conuicio vituperari deberet, Genef. XXXXIII. et XXXXIIII. Atque Salomo non eximium planeque diuinum fapientiae fuae, fed mali doli documentum publice dedit. Cur ipfe Auguftinus obfetricibus illis hoc elegans imponit encomium: *O magnum humanitatis ingenium, o pium pro falute mendacium!* Quid? pium mendacium? quid haec fibi volunt praedicata pugnancia, fi quis hoc dictum rigidius fpectare vellet? Sed tranfeant haec, fecundum ea, quae fupra de Auguftino interpretando adnotauit: tranfeant quia pulchre dicta funt, et quia demonftrant, Auguftinum non femper in doctrina de prohibendis falfiloquiis excedere. Porro pro humanitate, inquit, pro mifericordia fua, pro benignitate mentis praemium illis redditum eft, fed non pro iniquitate mentientium. *Quafi mentitae effent?* Forfitan, vt faepius accidit, magnus et celebris difciplinarem doctor logicas regulas, praefertim de vitanda petitione principii, non admodum curat? Satis apparet, Auguftinum non intellexiffe difcrimen inter falfiloquium et mendacium.

## §. XXXV.

EN vero qua ratione, fane ridicula Auguftinus, et deinde tantum non omnis veterum moralium doctorum cohors de fcripturae fcae locis, in quibus falfiloquia eximie facta relata legimus a), qua ratione de comoediis, fabulis, fatiris, de diuinis carminibus epicis, aliisque optimaef poefeos fpeciebus, cogitauerint! Quaefitionem multo labore difquire-



bant, vtrum, quia falſiloquium dicere non liceret, ius fit fabu-  
 las ſcribere, fatiras cet. in qua cauſſa, ſub qua incredibiliter  
 laborabant, doctē ſcilicet falſiloquium a tropicis, metaphori-  
 cis, hyperbolicis cet. loquutionibus tandem diſcreuerunt, et  
 de circumscribendis limitibus meditati ſunt, quouſque a pro-  
 prio verborum ſenſu recedi debeat. Sufficiant haec de bul-  
 latis illorum nugis, quas aniles putidasque ineptias bene di-  
 cerem, niſi tamen magna pietate antiquos iſtos doctōres ſu-  
 ſpiciendos ac venerandos eſſe propter ea putarem, quod, vt  
 omaino decet moralia docentem, ſeuere ea, quae vera eſſe  
 duxerunt, prout intelligebant, tractauerunt, et quod hoc illis  
 egregio modo venerat in religionem. Sed quid tantis opus  
 eſt ambagibus, ſi defenderimus, mendacia ac falſiloquia ma-  
 xime inter ſe eſſe diuerſa;

Falſiloquium eſſe genus, cuius ſpecies ſunt

mendacium falſiloquia licita.

Ita non opus eſt barbara illa inter factum miſericorditer et  
 fallaciter tale differentia; ita non omnis ſimulatio, non  
 omne falſiloquium, non excellentiſſimae illae poetarum fictio-  
 nes, non facetiae, non diſtionis ſal, lepor, ac ſuauiſas, nec  
 omnis fucus et fallacia in deteſtabile mendacii crimen atque  
 accuſationem incurrunt; et ita multi, vt obſtetrices illae, ob-  
 ligati ſunt, vt falſiloquio ſalutem, vitam, quantum debitus  
 patitur amor et cauta praecipit conſectariorum praeuiſio,  
 curent promouendam, perficiendam, ac conſeruandam.

- a) De quibus copioſe diſputauerunt WALTHERVS in *harm. bibl.*  
*p. 129, 179, 503. cet. IDEM in Spongia Moſ. ad Exod. I. BVD-*  
*DEVS in theol. mor. p. 545, ſq. WOLLE in der Sittenlehre*  
*nach der Augſp. Conf. p. 239 ſq. MOSHEMIVS in diſſ. laud.*  
*LILIENTHALS gute Sache etc. Theil IIII, p. 943 ſq. Theil V,*  
*p. 607 ſq. Th. VI, p. 601 ſq. 892 ſq. CETERI.*

COROL-

## COROLLARIA

QVAE

IN ACADEMICA PRO LOCO DISPUTATIONE  
SVBNECTENDA SVNT.

- I. LINGVA ebraica est primaeva.
- II. FIGVRAE hieroglyphicae Aegyptiorum, itemque lingua eruditorum Sinensium, ad ordinariam populorum linguam non sunt referendae; sed signis algebraicis nostratium mathematicorum similiores apparent.
- III. MVLTVM falleretur, qui putaret praestantissimos, quos Anglia vidit, poetas scriptores esse archetypos: nam quem ad modum maxima germanorum pars huius saeculi sequaces Gallorum nec non Anglorum aemuli fuerunt; ita Galli Hispanos, et Angli Italos imitati sunt.
- IIII. VNICA modo datur virtus generalior.
- V. EMENDATIO ab intellectu inchoanda est, non a voluntate.
- VI. DATVR naturalis legum ciuilium theoria.
- VII. TRADITIONES ecclesiae non norma esse possunt interpretandi.

E 3

VIII.



VIII. VERSIONES scripturae fontibus non sunt praeferendae.

VIII. HISTORICVS nomina propria, vti sunt, retinere debet.

X. GOTHORVM ac Longobardorum\* historiam negligere, nefas esset, praesertim quum horum populorum leges supersint.

XI. IN nouo testamento quam plurimos occurrere ebraismos, negari non potest.

XII. COMPARATIO gentilis philosophiae cum scriptura sacra et religionis christianae dogmatibus caute est instituenda.

XIII. AN noui scriptores praestent antiquis, vana disceptatio est.

XIII. AVGVSTI prudentia non fuit tanta, quanta vulgo creditur.

XV. LOGICA docens absque vte nullius est vsus.

XVI. PRINCIPIVM contradictionis est adumbrata nihil confignatio.

XVII. HISTORIA naturalis vniuersa pro dignitate nondum satis est enucleata.

XVIII.





XVIII. DIVISIO corporum physica in infinitum est impossibilis.

XVIII. SIT triangulum  $ABC$  cuius maximum latus  $AC$ , medium  $AB$ , et minimum  $BC$  est, (fac etiam  $AC = BC$ ): sic in triang. reſtilin. recto  $AC^2 = AB^2 + BC^2$ . In triang. reſtil. acuto  $AC^2 = AB^2 + BC^2 - 2BX, CB$ . Denique in triangulo reſtil. obruſo  $AC^2 = AB^2 + BC^2 + 2BX, CB$ . Hoc vero  $X =$  punctum, quod oritur ex linea perpendiculariter a puncto  $A$  aut  $C$  in alterutrum trianguli latus ducenda.

XX. Ex quo conſequitur,  $AB^2 + BC^2 - AC^2 = -2BC, BX$ . Atqui  $-2BC, BX = -BC, BX$ .

Ergo  $BX, BC = -BC = \frac{2}{-} BX$ . Itaque ſic patet  $X$ . Itemque  $AB^2 + BC^2 - AC^2 = 2BC, BX$ . Et  $2BC, BX = BC, BX$ . Ergo  $\frac{BX, BC}{BC} = BX$ .



VIRO



V I R O  
 PRAENOBILISSIMO ATQVE DOCTISSIMO  
 ISAACO SCHOLTEN  
 VENERABILIS CONSISTORII EVANGELICI AMSTELODAM.  
 CANDIDATO ET SOCIETATIS TEVTONICAE HELM-  
 STADIENSIS COLLEGAE ORDINARIO  
 RESPONDENTI SVO PRAESTANTISSIMO  
 ET AMICO SVAVISSIMO

S. D. P.

P R A E S E S.

**D**IVINAM amabilemque sectando virtutem magnam semper, immo splendidissimam, sectatur iuuenis gloriam. Ea enim intrinseca est virtutis condicio, ut non modo mirabili quodam motu animos alluciat, sed etiam cuius vero cultori largas spondeat palmas. Quid mirum, si *TE, VIR PRAENOBILISSIME*, ex quo *TE* mihi innotescere contigit, quid mirum, inquam, si *TE* indefesso studio, atque inflammato ardore ad laureas virtutis adspirare viderim? Eo felicior nunc amplum perambulas scientiarum campum, adeo, ut in dies rerum divinarum humanarumque notitia euadas locupletior. Gratulor *TIBI* de *TUIS* laudabiliter cumulatis scientiis; gratulor mihi, *TE* comite, cathedram ascendenti. Non dubito, fore, ut docto isto certamine magnum exoptatumque *TIBI* concilies applausum, gratissimam omnino laborum mercedem. Gratias inter ea *TIBI* refero quas possum maximas, pro singulari *TVA* erga me amicitia, cuius novum illudque luculentissimum hac luce ostensum voluisti documentum. Accipias brevis nunc tempore praemia morum ac scientiarum uberrima. Seruet *TE* immortale nomen sospitem, factum, atque felicem! Faxit deus, ut de praemiis virtuti *TVAE* tributis, relictisque laboribus et consiliis *TUIS* rem christianam iuvandi et amplificandi laetari mihi propediem liceat! Dab. in

Acad. Julia Carolina d. XXIII. octobr.

CICIOCCCLXIII.



99 A 6985

ULB Halle  
002 823 829


3



Rehra ✓







28

DISSERTATIO IVRIS NATVRALIS  
DE  
FALSILOQVIIS ET MENDACIIS  
MAXIME INTER SE DIVERSIS

QVAM  
CONSENTIENTE INCLITO PHILOSOPHORVM ORDINE

IN  
ILLVSTRI ACADEMIA IVLIA CAROLINA  
PRAESES

IOAN. CAROLVS CHRISTOPH. FERBER  
PHILOS. DOCTOR ET A. A. L. L. MAGISTER

IN IVLEO MAIORI  
DIE XXVI. OCTOBR. A. R. S. CIOIOCCCLXIII.  
PVBLICAE ERVDITORVM DISQVISITIONI

SVBIIICIET  
RESPONDENTE  
ISAACO SCHOLTEN

AMSTELODAMO  
VENERABILIS CONSISTORII EVANGELICI AMSTELODAM. CANDIDATO  
ATQVE SOCIETATIS TEVTONICAE, QVAE IN IVLIA CAROLINA  
FLORET, COLLEGA ORDINARIO.

HELMSTADII  
TYPIS MICHAELIS GVNTHERI LEVCKART.